Quelle: https://manuscripta.at/?ID=35036
Copyright: Brixen/Bressanone, Priesterseminar/Seminario Maggiore



grum illum. Iterum simile est regnum celorum homini negotiatori. quaerenti bonas margaritas. Inuenta autem una pretiosa margarita. abiit & uendidit omnia quae habuit & emit eam. Iterum simile est regnum celorum sagenae missae in mare. ex omni genere piscium congreganti. Quam cum impleta esset educentes. & secus litus sedentes. elegerunt bonos in uasa. malos autem foras miserunt. Sic erit in consummatione seculi. Exibunt angeli. & separabunt malos de medio iustorum. & mittent eos in caminum ignis. Ibi erit fletus & stridor dentium. Intellexistis haec omnia. Dicunt ei. Etiam. Ait illis. Ideo omnis scriba doctus in regno celorum simile est homini patrifamilias. qui profert de thesauro suo noua & uetera. ad corinthios

Rs. De uirginibus praeceptum domini non habeo. consilium autem do. tanquam misericordiam consecutus a domino. ut sim fidelis. Existimo igitur hoc bonum esse propter praesentem necessitatem. quoniam bonum est homini sic esse. Alligatus es uxori. noli quaerere solutionem. Soluto es ab uxore. noli quaerere uxorem. Si autem accepis uxorem non peccasti. Et si nupserit uirgo non peccat. Tribulationem tamen carnis habebunt huiusmodi. Ego autem uobis parco. Hoc autem dico fratres. tempus breue est. reliquum est. ut qui habent uxores. tanquam non habentes sint. & qui flent. tanquam non flentes. & qui gaudent. tanquam non gaudentes. & qui emunt. tanquam non possidentes. & qui utuntur hoc mundo. tanquam non utantur. Praeterit enim figura huius mundi. Volo autem uos. sine sollicitudine esse. Qui sine uxore est cogitat quae domini sunt. quomodo placeat